



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vnica Religione, Stvdio Catholicorvm Principvm, In Repyblica Conservanda, Liber vnus

Lens, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1579

VD16 L 1181

Christianorum principum exemplis declaratur studium fuisse in Ecclesia
perpetuum, vt vnica religio Catholica Romana, quoad posset, in publico
suo exercitio retineretur. Cap. XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30005

*Christianorum principum exemplis declaratum
studium fuisse in Ecclesia perpetuum, & vnica religio
Catholica Romana, quoad posset, in publico suo ex-
ercitio retineretur.*

CAPVT XI.

RES iam postulat, vt quæ de Christiano-
rum principum officio erga vnicam ve-
ram religionem, & rationi, & scripturis san-
ctis esse consentanea docuimus, eadem exem-
plis clarissimorum Imperatorum ac Regum
demonstremus. Primus omnium Constan-
tinus, quam solam religionem efflorescere
& obtinere publicè & priuatim voluerit, Ec-
clesiastica nos historia docet. Deuictis enim
hostibus nominis Christiani, non solum ty-
rannicas remouit leges, sed & maximis pri-
uilegijs Ecclesias clerumque donauit, & di-
gnitates ac præfecturas passim omnes à solis
geri voluit Christianis. Horum templa &
magnificè extruxit, & liberaliter dotauit. Cœ-
libatui & professioni sanctæ virginitatis,
quam vilem habuerat gentilitas, singularem
detulit honorem. Episcopos, sacerdotes, dia-
conos, cæterosque ordines ecclesiasticos miri-
ficè coluit semper. Gentilè verò superstitio-
nè ea primùm moderatione deiecit, vt qui eã
retinerent mordicus, nullis honoribus affice-
ret. Deinde & idolis tandè sacrificare negatū
est, vt nec paganis celebratibus, nec dedica-
tionib. nec diuinationibus iã esset relictus lo-
cus. Quæris quonã modo erga hæreses sese ha-
buerit. Eo siquidè tempore variæ inter Chri-
stianos hæreses grassabantur: & nonnullæ
qui-

*Li. 1. trip.
cap. 9.*

quidem erant multo antè exorte, liberiúsque
 grassate, persecutionibus Imperatorum gé-
 tilium in ecclesiam feruētibus: quas quidem
 hæreses tum satis ab ecclesia Dei constabat
 esse damnatas: vt erant Nouatianorum, Va-
 lentinianorum, Marcionistarum, Pauliani-
 starum, & aliæ complures. Contra has igitur
 omnes Imperator posita lege, fanciuit au-
 ferri eorum oratoria, & ecclesijs applicari:
 & neque cœtus vllos aut priuatis in ædibus,
 aut publicis in locis celebrare permisit. Sa-
 tius enim esse iudicabat in Ecclesia Catholica
 communicare, atque in eam vti potius con-
 uenirent, cunctis suadebat. Propter quam le-
 gem arbitror (ait Sozomenus) hæreseon me-
 moriã fuisse destructam. At hæresis Ariana, q̄
 tum primũ oriebatur, permultum ei negotij,
 plurimumq̄ difficultatis exhibuit. Et initio
 quidẽ motas ab Ario quæstiones præter reli-
 gionem ac fidem Christianã, existimauit esse.
 Ideoq̄ offensus, tanquam de subtilitate sola,
 grauioribus, quàm sacerdotes deceret, con-
 tentionibus excitatis, partes ambas suis horta-
 tibus cõciliare studebat: ob id maximè, quòd
 cerneret huius occasione dissidij mysteria
 Christiana paganis vilescere, eorumque ob-
 trectationibus obnoxia reddi, populumque
 Catholicum in contrarias distrahi factiones,
 declarat hæc eius epistola, quæ scripta est ad
 Alexandrum pontificem Alexandrinum. In
 qua de disceptatione quid senserit, ostendit
 his verbis: Huiusmodi enim quæstiones quæ
 non alicuius legis necessitate proponuntur,

*Li. 3. trip.
 cap. 11.*

inutilis vacationis tempus exquirunt. Et licet causa cuiuspiam naturalis exercitij fiant, tamen debemus eas intra sensum claudere, & non promptè in publica conciliabula deportare, nec omnium auribus inconsultè committere. Quantus enim est hominum captus, vt possit adeò magnarum rerum adeoq; difficultatem virtutem aut ad perfectum inspicere, aut interpretari dignè? aut si quis hoc facere quamuis ægrè possit, quantæ parti populi persuadebit? Et infra: Non enim pro summo legis mandato occasio certaminis inflammata est, neque noua quædam pro Dei religione hæresis introducta: sed vnã eandemq; rationem habetis, sicut etiam vnũ communionis signum. Vobis enim inter alterutros pro paruulis & valde modicis contendentibus causis, tantum Dei populum, quem vestris orationibus & prudentia conuenit gubernari, discordare nec decet, nec omnino fas esse creditibile est. Vt autem paruo quodam exemplo sapientiam vestram commoneam: Nostis etiã ipsos philosophos, quia in vnum quidem dogma cuncti consentiunt: cum verò in quadã sententiæ parte inter se dissident, licet disciplinis virtute separentur, tamen adinuicem corporis vnitatem cõspirant. Cum hæc ita sint, quanto iustius est vos magni Dei ministros, vnus consensione religionis esse concordēs? hæc tum Imperator, sicq; de exorta cõtrouersia persuasum habuit, nihil esse tanti, vt propterea alios ab alijs seiungi oporteret. Verum vbi sensim edocetur de magnitudine quæstionis,

nis, simulq; animaduertit, quē ea res exitū ef-
 fet habitura, ni maturē prouideretur: cōciliū
 illud celeberrimum grauissimūque trecen-
 torum decē & octo Episcoporum, Nicēnam
 in urbem pio feruore suo coēgit, vt vel hac
 ratione lite terminata pax redderetur eccle-
 sijs. Posteaquam autem eius authoritate con-
 ciliij (quam, vt pium decebat principem, fecit
 maximi) prophana de filio Dei, Arii commē-
 ta damnata sunt: num adhuc eum censes leui-
 ter aberrare à vero, presbyterum Arium exi-
 stimauisse? Illūmne adhuc tolerandum esse
 sua cum professione putauit? Nōne & ip-
 sum & eius libros totis est animi præcordijs
 auersatus? Manifestat hoc eius epistola, quam
 postea ad episcopos populōsque Christianos
 scripsit: Malignos (inquit) & impios Arius
 imitatus, dignum est vt illorum quoque sus- *Lib. 2. tri.*
 cipiat vltionem. Sicut ergo Porphyrius diui- *cap. 5.*
 nę pietatis inimicus, iniqua volumina con-
 tra religionem proferēs, dignam promeruit
 inuenire mercedem, & talem per quam in
 posterum esset opprobrium, & plurima com-
 pleretur infamia: ita nunc placuit Arium &
 consecratos eius vocari Porphyrianos: vt
 quorum mores imitati sunt, eorum vocabu-
 lo perfruantur. Super hæc autem si qua con-
 scriptio ab Ario facta reperitur, igni trada-
 tur: vt non solūm praua eius doctrina depe-
 reat, sed neque eius vlla possint remanere
 cōmenta. Hoc etiā præcipio: Si quis conscri-
 ptionēs Arii cēlasse comperitur, qui non re-
 pentē proferens, igni consumpserit, mortis

F

suppli-

*Li. 3. trip.
cap. 22.*

supplicio subiacebit. Mox enim, vt in hoc fuerit captus, capitalem suscipiet vltionem; declarat hoc ipsum & ea epistola, quam ad Nicomedienses scripsit, de Eusebij Nicomediensis insolentissima tyrannide: in qua & Arij superbiam principum ait dedisse tantis barbarum malis; & hæc ipsa corroborata esse Eusebij prauo pestiferoque voto: Denique propterea (inquit) circa istos ingratos decreuit peragere, vt abrepti procul deportentur exilio. Et rursum: Si quis ad memoriam illorum pestilentium, aut ad laudem improvide præsumit excitari, repente in sua præsumptione, ministri Dei, hoc est, meo opere comprimetur. At Arium (inquis) postea Imperator & ab exilio reuocauit, & reuocatum in communionem recipi iussit? & vsque ad eum quidem, vt is qui acerrimè illi, fidei causa, aduersabatur Athanasius, in exilium ipse pelletur? Sed nihil ista mirabitur qui fraudes hæreticorum & mendacia, versutiaque serpentinae plenas artes cogitabit. Quomodo enim non reciperetur presbyter Arius poenitens, erroremque damnans suum, & Nicænae fidei subscribens decretis, asserensque etiam iureiurando se ita, quemadmodum scripsisset, animi iudicio sentire? At ille interim Nicæni decreta concilij callida circumueniebat arte, suoque pro arbitrato illa interpretans, credulo nimium Imperatori nequissimus hæreticus illudebat. Athanasius verò, cur non exturbaretur in exilium, qui fuisset interminatus se non missu-

*Li. 3. trip.
cap. 10.*

rum

RELIGIONE.

83

rum frumenta Constantinopolim ex Alexandria? Hæc enim aliæque multa artifices illi de Athanasio finxerant, seque ita instruxerant ad calumniam, vt in promptu etiã testes essent, per quos, quæ vellent confirmarent. Multum autem (ait Socrates) derogatio præualet, quãdo is qui derogat: creditur fide dignus. Hæc igitur subreptione cum incanduisset Imperator, Athanasium in Gallias relegauit. Quãquam non defuerint, qui alio hoc consilio ab Imperatore factum putauerint. Itaque cum iam damnata esset hæresis Ariana tanta totius Christiani orbis autoritate, atque Imperator decretum esset Episcopale complexus, Ariani contra sanam fidem nihil ausi retractare, se quoque tanquam acquiescentes, Ecclesijs miscuerunt. Sex solùm cum Ario se patiuntur expelli, reliqui vndecim consilio inter se habito acquiescunt ad subscribendum manu sola, non mente. Cuius simulationis author præcipuè fuit Nicomediæ Episcopus Eusebius. Manebat interim in eorum pectoribus insitum atque inhærens in Catholicos viros odium: & aduersus quos disceptare de fide non poterant, eos subornatis accusatoribus, fictisque criminibus appetebant. Sed ex omnibus non alium magis quàm Athanasium remouere cupiebant. Is iurisconsultus aliquando fuerat, autore Sulpitio, posteaque diaconus Nicæno cõcilio interfuerat, acri vir ingenio, & Ariani doli perspicientissimus, quiq; semper ijs quasi murus obstiterat. Hoc remoto, reliquos in suam libidinem

Lib. 2. sc. 4.
cr. e. hist.

facile cessuros sibi pollicebantur. Namque synodū Nicænam pro se interpretâtes, quam vnus litteræ adiectione corraeperant, caliginem quandam in re præsertim obscura offuderant veritati. Siquidem vbi homiounion erat scriptum, quod vnus est substantiæ: illi homiounion, quod est similis substantiæ, scriptum esse dicebant: concedentes similitudinem, dummodo adimerent veritatem. Sed quid hic Arianorum innumeras fraudes deceptionesq; Episcoporum plerorumque persequi coner? Satis hic fuerit demonstrasse id quod erat propositum. Constantinum imperatorem egregiè pij & Catholici principis officio functum esse, neque aliam, quoad vixit, quàm vnā Catholicam & Romanam religionem ac fidem synodi Nicænæ decreto firmatam (cui B. Syluester Romanus Pontifex per suos præsedit, autoritatēque, ipso id petente patrum concilio, tribuit) pati in suo imperio potuisse; qui verò huic repugnassent, ita vt id ab illo resciri potuisset, in exilium abripuisse. Itaque tametsi non omnes Nicæni concilij dogma susciperent, tamen (vt est in historia) superstite Constantino, apertè nemo renuere audebat. Quod autem ei sit interdum specie huius religionis impositum, præsertim à sacerdotibus, nemo miretur, cum diuinus quoque Dauid non à pontifice, non à sacerdote, sed à seruo Siba, contra dominum suum M. phiboset mendacia proferente, deceptus sit. Magis multo mirandum est, tam multos ab ijs Dei sacerdotes

arque

*Li. 4. trip.
cap. 1.*

atque episcopos grauissimos, toto terrarum orbe illorum in partes pertrahi potuisse. Expectas modo, filij Constantini quid pro hac vnica religione præstiterint. Nec dubium id quidem est, quin illi quoque omnes in vnus huius conseruationem incubuissent, nisi Arianorum episcopi, qui primarias obtinebāt cathedras, dolis obstitisēt. Quibus effectum est, vt Constantius quidem ipse eorū in partes deceptus abiret, fieretq; tandem Ecclesiæ sæuisissimus persecutor. Constans verò, etsi maximè vellet solam Nicænæ synodi fidem vbique valere (quam intra sui quidem fines imperij solam patiebatur) neque id Orientis episcopi, neque ab ijs fascinatus frater sinebant: Scribebat nihilominus ad hunc litteras, quibus admoneret, vt paternæ pietatis inuiolabilem seruaret hæreditatem: posteaque rursus alias scripsit, quæ non modò monitionem aut consilium habuere, verum etiam interminationem pio principe dignam. Primum enim denunciauit fratri, vt episcopis Catholicis præberet auditum: Deinde adiecit, ni vellet quod iustū est facere, seipsum Alexandriam profecturum, & Athanasium suis ouibus, eius desiderantissimis, redditurum; inimicorum verò cateruas profligaturum esse. Sed quanquā ea res Athanasio profuerit ad reditum, pars tamen altera implacabilibus odijs imbuta veritatis, cōpesci non potuit. Itaque mortuo maximè Constante, cum Constantius liberius iam, amoto metu fratris, quod vellet ageret: impediēte nemi-

*Li. 4. scrip.
cap. 7.*

ne totum per orbem insolentissimè hæresis Ariana bacchata est, imò & crudelissimè rabiosissimèq; sæuijt sub nomine pietatis. Sed Constantius, qui discissa pace & vnitæ fidei Catholice, Christianos aduersus Christianos armans, ciuili (vt ita dicam) bello Ecclesiæ membra dilacerauerat, totū imperij sui tempus inquietum, molestissimumq; spatium vitæ suæ, bellis ciuilibus etiam per propinquos & consanguineos excitatis exercuit, exegit, expedit. Hunc verò sequutus Iulianus, haud mirum, si pro vna Romana religione sibi nihil agendum putauerit: qui & nomen Christianū, Apostata factus, omni suæ nequitiae & prauitatis arte subuertere conatus est. Quin etiam, hoc quo fieret commodius, schismaticis Donatistis, quos esse sentiebat Catholicis infestissimos inimicos, permisit eam, quam expetiuerant, libertatem. Quid verò post hunc Imperator Iouinianus? Quod potuit pro religione fecit, res enim Ecclesiæ partim paganismo, partim hæresi mirè turbatas inueniens, templa quidem paganorum claudi iussit: Arianos verò propter ingentem vbiq; multitudinem, præsertim sacerdotum & episcoporum, quos ea perniciēs inuaserat, tolerauit. Tantum Catholicos de suis reuocauit exilijs, proprijsq; sedibus restituit; his etiam peculiariter fauens, suoque in illos fauore singulari & compescens hæreticorum impetus, & aliquos reuocans ad veram religionem. Imperij quoque breuitas (nec enim totum expleuit annum) meliores conatus exclusit,

clufit. At quoniam alij quoque poſtea non-
 nulli principes Arianifmũ tolerauiffe viden-
 tur: notanda ſunt hæc illorum temporum in-
 commoda. Primum, quod latiffimè patebat
 Ariana lues, vt quæ Orientem vehementiffi-
 mè, atque Occidentem non leuiter infecerat.
 Deinde, quod non vulgares homines haberet
 aſſertores; non mercatores ſolũ, aut coquos,
 aut lanios, aut ſartores, aut opifices quofcun-
 que vel laicos: ſed ſacerdotes ipſos atque epi-
 ſcopos, & clariffimos, & non paucos: vt non
 abs re durum ſatis videretur Imperatoribus,
 cum tot viris Eccleſiaſtica dignitate præful-
 gentibus ſeuerius colluctari. Præterea acce-
 debat huc, quod, ſicuti dictum eſt, Ariani Ni-
 cænam fidem profitebantur, Ariumque dam-
 nabant, eaque profeſſio diu fucum fecit et-
 iam optimis principibus. Qui autem ab ea
 recedere viſi eſſent apertius, ſeueritatem prin-
 cipum experiebantur. Hinc & ipſe Valens
 (Catholicis alioqui grauis, extincto præſer-
 tim fratre Valentiniano, cuius ſuperſtitis au-
 thoritate compreſſus eſt) Aëtium propter cõ-
 feſſionẽ diſſimilis ſubſtantia mulctauit exi-
 lio. Idemque animaduerti voluit in Euno-
 mium: propterea, quod maiorem impieta-
 tem ſerere dicebatur, quàm vnquã fuerat ab
 Ario proſecta. Poſtremò barbaricæ irruptio-
 nes, & bella ciuilia, Tyrannorumq; & ducum
 varia factiones, magnas ijs temporibus & in-
 gentes occupationes Romanis dedere princi-
 pibus. Quo fiebat etiã, vt intermiſſa eccleſiaſtici
 ſtatus cura, Ariani quietius agere ſinerentur.

*Theo. lib.
3. cap. 29.*

*De his vñ
de libr. 7.
Pauli oro-
ſij.*

Sed quid tãdem Theodosius senior? Ad hunc cum accessisset Licaonum præful Amphilo-
chius, supplicauit Imperatori, vt Arianorum
cœtus ex vrbibus eijceretur; hanc petitionem
imperator, quod nimis duram crederet, pri-
mò non admisit. Tum igitur sapientissimus
Amphilochius (vt est apud Theodoretum) si-
luit, excogitata memorabili arte. Introgres-
sus enim in regiam, conspicatusq; astantem
imperatori filium Arcadium, qui imperator
paulò ante fuerat designatus, ipsum quidem
imperatorem de more salutauit, nullo hono-
re habito eius filio. Ibi imperator obliuione
Amphilochij hoc factũ arbitratus, iubet eum
& ad filium suum accedere, illumq; osculari:
Cui Amphilochius satis respondit esse, quòd
ipsi honorẽ detulisset. Quapropter indigna-
tus imperator, neglectiõnem filij sui, insecta-
tionem interpretabatur. Ibi deinceps vir sa-
pientissimus facti sui rationem declarauit, &
cum clamore: Imperator (inquit) itãne fers
grauiter neglectiõnẽ filij tui, tamq; vehemen-
ter succenses contumeliosis erga illum? Per-
suadeas igitur tibi omnipotentem quoque
Deum odisse blasphematores vnigeniti filij
sui, effeçq; eis infensum tanquam ingratis er-
ga saluatorem & benefactorem suum. His in-
tellectis cum admiratione dictorũ factorum-
que, legem statim scribit imperator, qua
hæreticorum cœtus prohiberentur. Hæc
apud Theodoretum. Sed neque passim Aria-
nis templa esse cõcessa, declarat Gainæ legio-
num præfecti petitio, qua sibi vnũ ex diuinis
templis

*Lib. 5. cap.
16.*

*Theo. lib.
5. cap. 32.*

templis concedi postulabat: cui tum Imperator quidem annuisset, veritus ne quid aduersus imperiū barbarus moliretur, si repulsam passus foret. Sed Ioannes Chrysoftomus & petenti restitit mira libertate, & imperatori facile persuasit, nequaquā huic Ariano, quālibet formidabili, fuisse acquiescendum: Minimè (inquit) tu isti (rex) quicquam huiusmodi pollicere, neque hortere me ut sancta canibus dem: non enim possum facere, ut verbum Dei diuina oratione afferentes atque celebrantes eijciam templo, & hoc tradam blasphematoribus illius. Igitur tum Ariani neque intra urbem templa habere, neque cœtus etiam facere permittebātur, tantummodo extra ciuitatem collectas agebant. Sabbatho autem atque Dominica intra portas & porticus congregati, hymnos & antiphonas ex Ariano dogmate decantabant. Et hoc maxima no-
*Lib. 102
trip. c. 8.*

ctis parte facientes (inquit Socrates) diluculo cum ipsis antiphonis per mediam ciuitatem egressi portam, ad suam Ecclesiam concurrebant. Cumque hoc crebrò facerent ad vituperationem orthodoxorum, frequenterque & illud occinerent: *Vbi sunt qui dicunt tria virtute vnum!* tum Ioannes Chrysoftomus, ne simplices istiusmodi cantibus allicerentur, suum populum sic ipse quoque instituit, ut nocturnis hymnis exercerentur: quo sic & illorum obscuraretur opus, & fidelium professio firmaretur. Sed studium Ioannis vtile cum turba periculisque finitum est. Cum enim homousianorum noctu celebriores hymni viderentur,

Ariani zelo perciti, ad vim familiarem sibi eademque profiliunt. Qua ex re nonnullis vtriusque partis extinctis, hac altera lege coercuit Arianos Imperator, ne cœtibus conuenticulisq; factis suos hymnos publicè decantarent. Si iam cæterorum alijs in regnis commemorare velim pium zelum aduersus Arianos, offeret se continuò Clodoueus Francorum rex: qui simulatque baptismatis sacramento initiatus, & rex consecratus fuit, declarauit subditis ferre se non posse, vt Gallix partem Ariani liberè possiderent; occuparant enim eam ac tenebant VVifigotti, id temporis Ariano infecti veneno. Bello itaque aduersus eos suscepto, prælij secundis vsus, Gallix sinibus expulit. Quod qui fecit, num tibi laturus fuisse videtur, vt inter suos Catholicos impunè illi religionem contrariam exercerent? & qui nec vicinos putauit etiam perferendos, is in ipsis regni sui visceribus eosdem pati potuisset? Iam (vt Arianos relinquamus) quid aduersus posteriores sectas principes reliqui? Theodosius iunior, nonne concilij Ephesini auctoritate damnatum Nestorium, pulsum ex Oriente, exilio relegauit apud Oasim? Nonne & inde longius fuerat abducendus, nisi diuina vltio præuenisset? Tabefactis enim omnibus membris eius, maximeque lingua consumpta, in Oasi diuina manu percussus interijt. Marcianus similiter pius imperator, postquam essent Dioscorus & Eutyches ab synodo Chalcedonensi damnati atq; depositi, Dioscorum Gangras deportari iussit in exilium.

*Vide Tu.
li. 2. c. 37.*

*Niceph.
de Mar.
ciano.*

Fau.

Fauftum quoq; Manichæum in exilium pul- *Li. 5. com.*
 sum fuiffe, testis est August. Confessus enim *tra Faus-*
 vel conuictus (inquit) quod Manichæus effet, *sum, c. 8.*
 cum alijs nonnullis secū ad iudiciū proconfu-
 lare productus, eis ipsis Christianis à quibus
 producti sunt intercedentibus, leuissima pœ-
 na, si tamen illa pœna dicenda est, in insulam
 est relegatus. Sed nihil hoc mirum de Mani-
 chæis, in quos pœna grauior erat imperato-
 rum lege decreta. Valentinianus enim & Theo-
 dosius Manichæos ciuitatibus exturbandos,
 vltimoq; afficiendos supplicio decreuerant. I-
 gitur ne cuncta persequendo sim æquo proli-
 xior (nam & de pijs Ottonibus afferri huc cō-
 plura potuere, & aliorum quorundam alte-
 ro in libello meminimus) constat piorū prin-
 cipum hoc studium fuisse semper, vt vna Ro-
 mana religio, hoc est, ea quæ à concilijs gene-
 ralibus Romani pontificis autoritate cele-
 bratis definita & explicata esset, quoad posset
 vbique sola vigeret, floreret, amplificaretur;
 vbique templa, cœrus, solennitates, haberet
 sola. Quod ita Pipinus & Carolus Magnus ac-
 curatè egerūt, vt ne quid in Gallicana religio-
 ne cerneretur Romane religioni contrarium,
 ritus ecclesiasticos Roma trāstulerint in Gal-
 liam, iusserintque exactè seruari. Ac dignum
 duxi quasdam hic principum leges (quoni-
 am earum mentionem fecimus) interserere,
 quo magis quod de Romana religione dixi-
 mus, ex eorum quoque verbis eluceat. Igi-
 tur Gratiani, Valentiniani, Theodosijque
 decretum eiusmodi est: Cunctos populos,
 quos

*Li. 9. tri-
par. ca. 7.
Codice de
summa
Trinit. et
fide Cath.
Tit. 4.*

quos clementiæ nostræ regit imperium, in ta-
li volumus religione versari, quam diuinum
Petrum Apostolum tradidisse Romanis, reli-
gio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat,
quamq; Pontificem Damasum sequi claret, &
Petrum Alexandrię Episcopum, virum Apo-
stolicæ sanctitatis. Hoc est, vt secundum Apo-
stolicam disciplinam, euangelicamq; doctri-
nam, patris & filij & spiritus sancti vnâ deita-
tē sub pari maiestate, & sub pia trinitate, cre-
damus: Hanc legem sequentes, Christianorū
Catholicorum nomen iubemus amplecti: re-
liquos verò dementes vefanosq; iudicantes
hæretici dogmatis infamiã sustinere: diuina
primum vindicta (hoc est excommunicatio-
ne) post etiam motus animi nostri quem ex
cælesti arbitrio sumpserimus, vltione plectē-
dos. Huic legi & illa iungatur Martiani Augu-
sti, Catholici plena feruoris, Christianęq; pie-
tatis, quam post concilij Chalcedonensis con-
clusionem his tulit verbis, atq; promulgauit:
Tandem aliquando quod summis votis atq;
studijs optabamus euenit. Remota est de or-
thodoxa Christianorum lege contentio, tan-
dem remedia culpabilis erroris inuenta sunt,
& discors populorum sententia, in vnum cō-
sensum concordiamque conuenit. Diuersis e-
nim è prouincijs religiosissimi sacerdotes
Chalcedonam venerunt iuxta nostra præce-
pta, & quid obseruari in religione debeat,
perspicua definitione docuerunt. Cesset igitur
iam prophana contentio; nam verè impi-
us atque sacrilegus est, qui post sacerdotum
sen-

*Actione
3. concilij
Chalcedo-
nensis.*

sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumē inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam, aliquid vltius discutit, mēdaciū quærit. Nemo itaque vel clericus, vel militaris, vel alterius conditionis, de fide Christiana publicè turbis adunatis & aduenientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nā iniuriam facit iudicio religiosissimæ synodi, si quis semel iudicata ac rectè disposita reuolueret & publicè disputare contendit, cum ea quæ nunc de Christiana fide statuta sunt, ac iuxta Apostolicas expositiones & statuta sanctorū patrum 318. 150. definita esse noscuntur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit, quia non solum contra fidem bene dispositam veniunt: sed etiam cum Iudæis & Paganis ex huiusmodi certamine prophanant veneranda mysteria. Et hætenus quidem dictū sit de studio Catholicorum principum ad Catholicam Romanam religionem suis in regnis conseruandam.

Ad officium Ecclesiasticorum præsulū pertinere, & principes commoneantur, atq; intelligant sui muneris esse, & per eos & a seruetur religio, quibusdam exemplis ostenditur.

CAPVT XII.

Quam in rem vt incumberent, cū suo zelo incitabatur, tum mouebantur etiam Catholicorum præsulū monitis, quos propius cura rerum Ecclesiasticarum & salutis omnium concernebat. Sic enim vt Ariano